Quelle: https://manuscripta.at/?ID=31256
Copyright: CC BY 4.0 <img src="https://manuscripta.at/styles/icon_cc_by.png"> Kontakt: Stift Stams   <img src="https://manuscripta.at/styles/universitaets-landesbibliothek-tirol.png" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/BMKOES_Logo.svg" height="48">   <img src="https://manuscripta.at/styles/EUnion_POS1.jpg" height="48">

tuum. in quo interponetur deus uenie largitor. Si pro eo missa celebrari non poterit. dicetur tamen ipsa collecta. Si autem presens defunctus episcopus fuerit. deus qui inter apostolos. die tantum sepulture eius dicetur.

Ad missam cottidianam pro omnibus fratribus. et familiaribus ordinis nostri defunctis. dicetur inclina domine. deinde si tricennarium fuerit. dicetur deus cui proprium est. uel deus uenie largitor si fuerit sollempne tricenarium. Ad missam enim in conuentu nullum tricenarium agimus. nisi illud sollempne quod fit post generale capitulum. Sciendum quod in illis missis quas pro quolibet defuncto debemus dicetur collecta inclina domine singulariter. nisi in capitulo pluraliter dici precipiatur.

De officiis defunctorum perpetuis.

In commemoratione omnium fidelium defunctorum. et in commemoratione parentum nostrorum fratrum et sororum omniumque consanguineorum et benefactorum nostrorum eo quoque die quo post annuum capitulum sollempnem facimus memoriam omnium monachorum. nouiciorum conuersorum. et familiarium ordinis nostri preterito anno defunctorum. sed et in anniuersario omnium defunctorum ordinis nostri episcoporum et abbatum. quod fit tercio idus ianuarii. sollempne faciamus officium cum uesperis uigiliis et laudibus et psalmi stando cantantur. et aliquanto morosius tam ad uesperas quam ad uigilias et ad laudes. Dicto autem uersu ante lectiones ab ebdomadario. resideant super misericordias. dicentes pater noster sub silentio. deinde incepta lectione resideat super sedes. usque ad tertiam responsionem. libera me domine. Quod responsorium debet cantor stando incipere. Quo incepto. statim inclinet. et subsequentes uersus cantare. post ultimum tantum inclinans. Quibus officiis et missis debent interesse omnes monachi qui conuentum tenent. nisi grauis causa eos prohibuerit. Ad officium omnium defunctorum. et ad missam fidelium deus. tantummodo dicetur. nisi presens defunctus fuerit. In

In commemoratione autem omnium parentum nostrorum. Deus cui proprium est tantum ... in anniuersario episcoporum ... primum quod est tri... tricennario ... generale capitulum ... uenie largitor ... et ad officia et ... dicantur ... defunctus fuerit

32